

[52r]

**Mysterium a seculis tacitum,
lingua incorrupta sacramentalis merces silentii,
revelatum in magni confessionis sigilli Protomartyre
S. JOANNE NEPOMUCENO**

Celebratum comica panegyri anno a **DIVI** passIone sUptra treCentos
qVInqVagessIMo, saCrae Vero apotheosIs tertIo^a

Quo Musis Hradistiensibus e veteri in novam digressis scenam magno
huic sacramentalis consilii et iudicii Angelo eadem vocali cordis et oris
lingua dicabat, dedicabat, devovebat ligata et obligata universae
gymnadis eloquentia

[52v]

CLAVIS PERSONARUM

Athenarchus: praeses gymnasii; Thalia: Musa, praeses comoediarum; Hagiophylactus: Sacrorum custos; Eusebius: Genius pietatis; Eudoxus: Sanctae famae genius; Polyhistor: historicus; Philologus: eruditionis et eloquentiae amans; Mythosophus: poëta seu fabulator; Harpocrates: Numen silentii; Svada: Numen eloquentiae; Uranie: Musa, astronomiae praeses; Phidias et Polycletus: statuarii; Parrhasius: pictor.

PROLOGUS

Instruit scenam assumpto in titulum versu 30. Ecclesiastici cap. 51.: *Dedit mihi Dominus linguam, mercedem meam.*^b

Clavis personarum Hagiophylactus] Hagiophilactus *MMs*, *idem n.* V, IX, XIII, XV, XVIII.

^a Chronogram = 1732.

^b Sir 51,30: *dedit enim mihi Dominus linguam mercedem meam et in ipsa laudabo eum.*

NUMERUS I.

Athenarchus comite Thalia recens a se in Parnasso extructas inspicit scenas sibique probari significat, modo solemnibus ludis tutelari alicui inaugurentur Numini idque negotium Thaliae demandat.

NUMERUS II.

Mythosophus, hanc ingenii sui ratus provinciam, libraria excutit Heliconis monumenta, atque fortuito in illud Horatii lib. 3. odae I. fragmentum incidens: *favete linguis, carmina non prius audita Musarum sacerdos ... canto*;^c arbitratur fore e loci genio, si Harpocrates silentii Numen eidem statueretur tutelare.

NUMERUS III.

Hagiophylactus, rem profanis initiari auspiciis suspicatus, Eusebium ad Athenarchum ablegat. Se vero cum Philologo ad Polyhistorem confert aliquod ex vero in rem hanc intellecturus argumentum.

NUMERUS IV.

Thalia de commisso negotio deliberans a Mythosopho admonetur Harpocratis, neque displicet ingenium.

NUMERUS V.

Polyhistor ab Eudoxo famam S. Joannis edoctus eam in fastos refert. Adest tum opportune cum Philologo Hagiophylactus, atque admirans eandem intelligit. Quare ad Eudoxum remittit plura copiosius intellecturus ex illo Philologum.

NUMERUS VI.

Athenarchus suasore Eusebio Thalam evocat jussurus, ne Mythosopho, sed Philologo negotium demandet, hinc eundem per Eusebium acciri vult.

NUMERUS VII.

Philologus summa animi voluptate ab Eudoxo percipit, quam admiranda in silentii sacramentalis mercedem Deus operetur per S. Joannem, cujus sacra lingua jam in quartum seculum perdurat incorrupta. Unde inter haec non sine dolore advocatur ab Eusebio ad Athenarchum.

NUMERUS VIII.

Adest Thalia cum Mythosopho et mentem Athenarcho de Harpocrate silentii Numine aperit, quam hic in adventum Philologi dissimulat. Qui se continuo inferens eandem non sine gaudio [53r] percipit, quod similem ex vero adferat conceptum. Quare jussus omnem de S. Joanne ejusque lingua incorrupta refert famam. Atque ex hoc

^c Horatius, Carmina 3,1,2–4: *Favete [...] sacerdos / virginibus puerisque canto*. Ve hře citováno včetně prvního verše (*Odi profanum vulgus et arceo*), vloženo do césury v. 114 a 164.

Athenarchi pro se fert iudicium et curam inaugurandae scenae Sancto huic silentiariorio illiusque linguae sacratissimae.

CHORUS

Svada ad Castalios inambulans fontes animadvertit stellas in aquis, quae dum ab Urania, suo quasi restituendae loco, levantur, coeunt in linguam. Hanc Svada sibi tanquam eloquentiae Numini deciduum^d rata palladium vendicat et obtinet, monita inscribere illud: *Lingua placabilis, lignum vitae*. Proverbia, cap. 15. v. 4.^e

NUMERUS IX.

Hagiophylactus et Eusebius pium e voto cessisse dolum gaudent svadentque Eudoxo et Polyhistori, ut singula de hoc Thaumaturgo penitius edoceant Athenarchum et Philologum.

NUMERUS X.

Thalia Mythosophum sua addicere, non sine pia aemulatione, jubet studia Philologo.

NUMERUS XI.

Philologus a Polyhistore singularem Thaumaturgi Bohemiae audit virtutem et gloriam. Quare hujus desiderio illiusque amore adeo inflammatur ab Eusebio, ut in somnum deficiat, in quo subinde S. Joannis ei objiciuntur passio et gloria.

NUMERUS XII.

Athenarchus ferventi ab Eudoxo in S. Joannem accensus studio, comite Thalia, adit Philologum, qui ob recens attonitus adhuc somnium varia de gloriosa Sancti effatur passione et lingua. Cujus effingendae gratia Phidiam et Parrhasium e Parnasso evocari per Mythosophum rogat et obtinet.

Numerus IX. ut] & *MMs*.

^d Perfektum od slovesa *decido*, *ere* není v klas. latině doloženo.

^e Prv 15,4: *Lingua placabilis lignum vitae quae inmoderata est conteret spiritum*.

NUMERUS XIII.

Mythosophus haec expendens occurrit Hagiophylacto, ex quo specialem rescit Sancti Joannis cultum fieri ad flumina, in quorum pontibus plerisque per totam Europam ejusdem eriguntur simulacra; quod in rem suam annotat.

NUMERUS XIV.

Adsunt Phidias et Parrhasius, quibus visa sibi in somnis desigat, atque elaborare praecipit Philologus.

CHORUS

Svada proturbato e Larario suo Harpocratis simulacro, linguam ab Uranie acceptam cum inscriptione infert et sibi in symbolum statuit, cui traductum subnectit illud: *Lingua sapientis ornat scientiam*. Proverbia 15. v. 2.^f

NUMERUS XV.

Mythosophus memor sermonum Hagiophylacti ad labia Hippocrenes fontis in scena domestici effigiem S. Nepomuceni eri-[53v]gere decernit. Idque Thaliae communicat, a qua ad Polycletum remittitur.

NUMERUS XVI.

Athenarchus inaugurationis solennis decernit diem eundemque per Eusebium Philologo et aliis denuntiari imperat.

NUMERUS XVII.

Eudoxus et Polyhistor jubente Philologo urgent labores Phidiae et Parrhasii.

NUMERUS XVIII.

Hagiophylactus ab occurrente Mythosopho magna jucunditate intelligit per Polycletum S. Joannis parari iconem, quam ex pia aemulatione ad fontes Castalio collocet.

NUMERUS XIX.

Eusebius indicit Philologo inaugurationis diem cernensque summa alacritate desudari in opere, id ad Thalamiam refert.

Numerus XVII. urgent] urget *MMs*.

^f Prv 15,2: *Lingua sapientium ornat scientiam os fatuorum ebullit stultitiam*.

NUMERUS XX.

Mythosophus Polycletum accelerare artem impellit.

NUMERUS XXI.

Philologus Phidiam et Parrhasium in scenam praeire jubet, se vero ad Athenarchum confert.

NUMERUS XXII.

Athenarchus a Thalia et Eusebio monitus in Parnassum declinare parat; intervenit Mythosophus cum Polycleto, atque iconem S. Joannis, ad fontes scenae domesticos locandam, ostentans ob pie aemulam fraudem laudatur.

NUMERUS XXIII.

Fervet in scenis apparandi ardor inter Phidiam, Polycletum et Parrhasium.

NUMERUS XXIV.

Adest Athenarchus cum comitatu, atque in perpetuam rei memoriam, ritu solenni, ad Hippocrenes labia simulacrum S. Joannis erigit, in scenarum vero atrio sacratissimam incorruptae linguae collocat effigiem. Eique per Philologum reverentissimo animi conatu tanquam incorruptae loquendi et silendi regulae praesentia et futura in his scenis dicat et dedicat in honoris debitum Romanae linguae studia.

EPILOGUS

Musis de tanto in scenam illato gratulatur palladio perennaturamque a magno famae Patrono et Vindice vovet loco famam et nomen. Spectatorum vero pia memoriae tacitum a seculis tribus linguae incorruptae commendat mysterium, tanquam tutissimum fama periclitantium ancile. In cujus olim silentio, hodie autem evulgata per orbem utrumque sanctitatis fama vere adimpletum est Ecclesiae effatum cap. 9. v. 17.: *Verba sapientium audiuntur in silentio.*^g

Ad majorem Dei Gloriam

SanCto JoannI patrono sUo has sCenas MUsa InaUgUraVIt HRADISTIENSIs^h

Numerus XXII. Polycleto] Policleto *MMs*.

^g Ecl 9,17: *Verba sapientium audiuntur in silentio plus quam clamor principis inter stultos.*

^h Chronogram = 1732.